

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXI. De exitu hominis justī a corpore.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XXI.

DE EXITU HOMINIS JUSTI A CORPORE.

CUM anima justi egreditur de corpore, si tam libera est ab omnibus peccatis, ut cœli secreta statim promeruerit intrare, in primo egressu animam illam felicem Deus sic penetrat sua divina virtute, omnesque sensus ejus sic replet et possidet, ut ipse sit oculus animæ quo videt, et lux per quam videt, et decor qui videtur: ut miro et jucundissimo modo Deus in anima et cum anima seipsum, et animam et omnes Sanctos speculetur. Est etiam auditus animæ, quo audit dulciflua eloquia sua, quibus animæ supra omnem maternum blanditur affectum, et quo anima audit ipsius Dei et omnium Sanctorum concentum. Odoratus quoque animæ est et spiramen, spirans ei vivificum et divinum flatum suimetipsius, vincentem omnem odoris fragrantiam, quo anima in æternum vivificatur. Est etiam animæ gustus, quo suimetipsius dulcedinem in anima sapit. Item ipse Deus est vox et lingua animæ, qua seipsum in anima et pro anima plenissime et altissime laudat. Ipse quoque est cor animæ, delectans et jucundans animam, et fruens deliciis suis in anima et cum anima in jucundissima delectatione. Est insuper Deus vita animæ, et motus omnium membrorum ejus, ut omne quod anima agit, ipse Deus in ea agere videatur, ut illud vere in Sanctis impleatur: *Erit eis Deus omnia in omnibus.* (I COR. XV. 28.)

Deus ipse in
anima justi
se laudat.

Animabus autem nondum purgatis Angeli lumen cognitionis ministrant, et sunt eis subsidium in pœnisset solamen. Animas vero damnatorum in exitu implent tenebræ,

terror, fœtor, amaritudo, pœna intolerabilis, tristitia indicibilis, desperatio et infinita miseria. Sicque in seipsis sunt vitiatæ et omni bono penitus destitutæ, ut si nunquam in infernum aut in potestatem dæmonum devenirent, hæc tanta mala, quibus in se ipsis replentur, essent eis sufficientes cruciatus.

EXPLICIT DE ANIMIBUS.

CAPUT XXII.

DE VERITATE HUIUS LIBRI, VIDELICET SPECIALIS GRATIÆ ¹.

IN Missa quadam apparuit Dominus ancillæ suæ residens coram ea in solio majestatis. Cum autem pulsaretur ad Secretum, dixit ad Dominum : « Modo totus in altari in manibus sacerdotis es, et nihilominus totus hic mecum es. » Ad quod ille respondit : « Nonne anima tua in omnibus membris tuis est, et tamen semper in mea præsentia mecum in cœlo est ? Si hoc anima tua, quæ simplex creatura est, potest, cur non ego, Creator omnium, in omni creatura mea et ubique esse possum ? » Statimque visum est animæ ejus quasi esset in cœlo in præsentia beatissimæ Trinitatis, candidissima veste amicta. Dominus autem eam in sinum suum levans et amantissime intuens, inter alia his verbis ei blandiebatur : « Pulchritudo mea corona tua erit ; gaudium meum, torques colli tui ; amor meus amictum tuum, et deliciæ meæ honor tuus erunt. » Post hæc supra Cor suum eam

Dominus
Cor suum
dat totum
Mechtildi.

1. Quæ sequuntur, post mortem beatæ Mechtildis ex integro conscripta fuisse videntur.